



DE
PSALMIS ALPHABETICIS
PRAEFATVS

AD
ORATIONES
DIEI NATALI
IMPERIO FELICITER VSCEPTO
SERENISSIMI ELECTORIS
SAXONIAE
FRIDERICI AVGVSTI
CONSECRATAS
OBSEQVIOSE INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.
FREIBERGAE,
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXXVII.

New

(a) M. Gottl. Bidermanni Compendium Grammaticale, folio 8.1. b.

Carmina sacra, quae in litteris diuinioribus Psalmorum nomine continentur, singularibus ornamentiis, iisque tam externis quam internis excellunt. Ad haec refertur admirabilis illa animi commotio, ut eos legens mentem suam vi quadam tacita tangi et rapi deprehendat, imo seipsum cum Deo loqui sentiat. Si vero cordis latebras scrutari, et intimos illius recessus retegere volumus, hoc in speculo singula mentis secreta ob oculos nobis ponuntur. Si proprius Deo frui optamus, hoc in sanctuarium ingredientes, visu non minus quam gustu percipimus, quam suavis sit Dominus. Si vel pia desideria animi nostri coram patre caelesti exponere, vel conscientiae angoribus constricti culpac veniam rogare iubemur, hic psalmorum liber eloquentiae est magister, cuius verba nostra facere possumus. Et si beneficiorum diuinorum dulcedine perfusis gratias Numini diuino personare placet, promtuarium hoc in libro reperimus ita instructum, ut nulla vel tribulatio, vel animi perturbatio fungi possit, cui ex hac officina certa medela non comparetur.

Ad externa autem eiusdem libri ornamenta primo admirabilis proprietas sermonis pertinet, cuius structuram dignis laudibus nemo satis euhere potest. Nam quum tam varii sint animorum habitus, ut nullus liber omnibus ex aequo satisficiat; et tam differentes pietatis motus, ut una formula dari omnibus nequeat, ad quam componantur, hic liber omnium votis respondet, omnium complectitur voluntates, et omnium sensum tam exacte refert, ut nemo a se alienum credere illum possit. Et quis negare ausit, idioma psalmorum a sermone reliquae scripturae sacrae longe recedere? Ceteri enim libri vel fidei capitula reuelant, vel praecepta virtutum tradunt, vel sanctorum exempla commendant, vel vitorum fugam imperant, vel tolerantiam aduersitatum suadent, vel preces faciendas vel gratias agendas, vel beneficia laudibus celebranda docent: huius autem libri lectio fiduciam veritatis diuinae amplexum, virtutum exercitium, sanctorum hominum imitationem, patientiae documenta, atque orationis vim incredibilem comprehendit et proponit. Porro hunc librum terfa sermonis puritas, incomparabilis carminis suauitas, commemorabilis sententiarum grauitas, et multae aliae elegantiae praे aliis exornant.

Inter haec ornamenta illi psalmi singulari consideratione digni esse videntur, qui versuum initia ad litterarum alphabeticarum ordinem disponunt, vel certe hemisticchia illorum iuxta elementorum seriem distinguunt, et a Iudeis נאש נאש נאש נאש ורנ h. e. *psalmi ad ordinem alphabeti* nominantur. a) Et plurimi quidem hos quinque in eorum censum referunt: XXV. XXXIV. CXI. CXII. et CXIX. alii vero his XXXVII. et CXLV. addunt, et nouissime I. P. ZEN-KELIVS b) hunc numerum psalmo IX. augendum statuit. Quo vero successu illud tentauerit, nemo non videt, qui periculum facit, ad ordinem alphabeticam illius versus componendi.

Nam

a) in Midrasch Cohel. I. 13.

b) in Commentar. Grammat. lingv. Hebr. P. I. p. 12.

Nam licet non nesciam, etiam in Salomonis Proverbiis caput XXXI. et in Threnis Ieremiae quatuor priorum capitum versus litteris alphabeti signari nullibi tamen ille ordo vel plenior vel planius, quam in libro psalmorum reperitur. In Proverbiorum enim capite allegato non nisi posterior pars, a comitate decimo usque ad finem ordine litterarum alphabetico insignita comparet. Threnorum autem caput primum quidem singulas alphabeti litteras ex ordine complevit, in secundo autem littera decima septima decimam sextam praecedit; in capite tertio quaedam litterae tres, quaedam duo versus, et quaedam non nisi unum inchoant, imo quaedam debitum ordinem et locum non tenent; et caput quartum duo elementa litterarum s et v transponit.

Iam vero si quaeras, cur ex viuero psalmorum libro non nisi iam indicati hymni sua commixta vel hemistichia a litteris incipient, quae alphabeti ordinem sequuntur? R. Dau, KIMCHI respondet, c) caussam simpliciter arbitrio et beneplacito Spiritus S. adscribendam esse. Quod enim cel. Anglus, Rob. LOWTH existimat, d) psalmos alphabeticos pro reliquis vel potius notis carminis didactici habendos esse, hoc ideo probari et concedi vix potest, quia praeter quinque iam allegatos etiam I. XIV. XV. XXXII. XXXVI. XLIX. L. LII. LIII. LXII. LXIII. LXIV. LXXVI. LXXVII. LXXXVIII. LXXXI. LXXXII. LXXXIV. XC. XCIV. CI. CXIV. CXXVII. CXXXI. CXXXIII. CXXXIX. CXXXV. CXXXIX. inter didascalicos sunt referendi, qui tamen nihil alphabetici ordinis p[ro]ae se ferunt. Rectius igitur dignitati argumenti tribuemus singulare hoc institutum, de quo loquimur, et quod in canticis citatis admiramus.

Priusquam vero hoc pluribus persequamur, operae pretium videtur, disquirere, nun apud alias quoque gentes talis ratio in usu fuerit, qualem psalmi Hebraeorum alphabetici p[ro]ae se ferunt? Et sunt omnino, qui adffirmant, poetas vetustioris aetatis tam Graecos quam Latinos hunc morem tenuisse sibi familiarem, quo singulos versus carminum suorum ad ordinem alphabeti disponebant. Talia sunt monosticha Gregorii NAZIANZENI, e) AVGUSTINI, f) SEDVLHI hymnus de vita Christi, g) imo plurima oracula Sibyllina, tam artificiose contexta, ut ex initialibus versuum litteris certae voces concenterentur. Quod carminum genus, *argostyx* adpellatum, CICERO plus diligentiae quam insinatus habere, censet. Ita enim ille: h) *ars ea, quae argostyx dicitur, quum ex initialibus litteris aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, magis est aenti animi, quam furentis.* Atqui in Sibyllinis ex primis litteris sententiae omne carmen pertexitur, quod est scriptoris, multam diligentiam adhibentis. Plures veterum, qui hoc carminis genere delectati sunt ac usi, a Mart. SARAZANIO allegantur, i) quibus ex numero poetarum christianorum Latinorum addimus Comodianum et Optatianum Porphyrium. Licet enim facile adpareat, illorum acrostichorum et psalmorum alphabeticorum eandem non esse rationem: tamen

c) in Commentar ad Ps. XXV. d) in Praelectt. Academ. de sacra poesi Hebraearum, Praelect. 24. e) Opp. T. II. p. 186. f) Opp. T. VII. f. 5. g) in Georg. Fabricii poet. p. 567. h) de diuinat. L. II. i) ad S. Damasi carmen 7. et 8.



hoc ex iis probatur, veteres iamdudum non minus iucunditatis quam vtilitatis
in litteris versuum initialibus insie collectis venatos fuisse.

Iam autem ex diuerticulo in viam, et ad psalmos alphabeticos redimus,
quid de illis sentiendum sit, visuri. Nam, si quis existimet, laborem, qui in
excutiendis litterarum elementis occupatur, ieiunum atque inutilem esse, ille
egregie fallitur, vel nesciens, vel se nescire dissimulans, quod vniuersa Scriptura
vaciaret, nisi litterarum dignitas satis confirmetur. Quare etiam litterarum
Hebraicarum ordo, quem psalmi alphabetici probant, dignus omnino est,
vt illius integratatem teneamus. Ita viri, sermonis Hebraici peritissimi, recte
iudicarunt, ex quorum numero vnum V. E. LOES HERVM, instar omnium
allegamus, qui ait; k) ordinem litterarum Hebraicarum eo minus vereor *Geiv*
adpellare, quia diuina auctoritate est institutus. Neque Iudei per curiositatem,
sed per conscientiam singulas codicis sacri litteras ad numerum retulerunt. Ho-
rum enim per cutam atque industriam, constat, in vniuersa Scriptura V. T.
viginti sex versus singula litterarum elementa complecti, scilicet Exod. XVI, 15.
Deut. IV, 34 XXXIII, 20 Ios. XXIII, 13. 2 Reg. IV, 39. VI, 32 VII, 8. 2Chron.
XXVI, 11. Esth. III, 13. Cohel. IV, 8. Ies. V, 25. LXVI, 17. Ier. XXII, 3. XXXII,
29. Ez. XVII, 9. XXXVIII, 12. Dan II, 42. III, 22. Hof X, 8. XIII, 2. Am. IX, 13.
Zeph III, 8. in quorum duobus postremis simul quinque litterae finales occur-
runt. Quem computum Anglus Hugo BROVGTHON alio consilio miratur,
statuens, l) alphabetum Hebraicum in codice V. T. bis et vicies repeti, quo nu-
mero ipsae litterae alphabeti continentur. Si praeterea Masorethae ad conferuan-
dam et probandam sacri codicis integratatem tam voces quam litteras solicite
numerarunt, et sub finem singulorum librorum, quae sit libri littera et vox
media, indicarunt, ne apex vel minima littera excideret, m) quis hanc operam
reprehendet, quae impenditur ad psalmos alphabeticos sub examen vocando?

Et huius quidem generis psalmos litterarum sacrarum interpretes in perfectos at-
que imperfectos diuidere solent. Quam distinctionem ipsi Iudei probant, his verbis; n)
quum poeta facit alphabetum, quandoque perfectum quandoque autem imperfectum
illud relinquit. Illi dicuntur, qui alphabeti ordine seruato, singulas litteras psalmi
versibus praefixas habent, quales sunt psalmus CXI. CXII. et CXIX. inter quos
tamen haec differentia intercedit, quod duo psalmi priores, quia breuiores sunt, he-
mischia versum litteris alphabeticis ex ordine positis signant, ita vt unus ver-
sus duas litteras ad distinguendi officium destinatas complectatur. Sic in psalmi
CXI. comminate primo post inscriptionem יְהִי־לְלֹה ipse psalmus ab n vocis
הַמְּלָאָךְ aufsicatur, quam altero in hemischie post accentum Atnach littera ו ex-
cipit in dictione וְלֹא, et tandem in tribus extremis versibus, quorum singuli
tres propositiones continent, etiam tres litterae ex alphabeti ordine adhibentur.

Contra vero psalmi imperfecti sunt XXV. XXXIV. XXXVII. et CXLV.
qua in iis quedam litterae omittuntur, quedam repetuntur, et quedam trans-
ponuntur,

k) de Cauff Hebr. Lingv. p. 255.

n) Midrash Cohel, I, 13.

l) in Daniel. c. 9.

m) Matth. V, 18.

ponuntur, quod etiam in Threnis Ieremiae, eorumque capite II. III. et IV. fieri videmus. Quod quidem institutum cauillatores sacrarum litterarum in sententiam peruersam adduxit, ut de fontium integritate male sentirent. Ita enim PISCATOR, videns in psalmo XXXVII. litteram numeralem γ deficere, colligit, totum illum versum excidisse. o) HVNTLAEVS Iesuita vero audacter adfirmat, p) biblia Hebraea esse corrupta, quum in versione Graeca et antiqua Latina versus interferatur, de quo instituto Iul. BARTOLOCCIVS q) copiose disputat.

Inter perfectos autem psalmos alphabeticos omni procul dubio perfectissimus est centesimus decimus nonus, qui veluti luna inter minora sidera exsplendescit, quia in eo neque litterarum alphabeticarum ordo turbatur, neque illa earum praetermititur, inde a Masorethis בְּרִיתָה וְרַבְּנָה i. e. alphabetum magnum appellatur. Praeterea idem psalmus hoc habet peculiare, quod non solum reliquorum psalmorum sit prolixissimus, sed etiam per octonos versus una eademque littera octies repetitur. Et sicut Salomon in Proverbiorum capite XXXI, laudes bonae vxoris per singula litterarum elementa quibus singula commata auspiciatur, persequitur, ita vates diuinus, Daudes, hoc in psalmo excellentiam verbi diuini eodem modulo metitur.

Postquam igitur ostendimus, qui psalmi inter alphabeticos referri mereantur, nunc etiam audiemus, quid sanctorum litterarum interpretes de illis sentiant, et quem usum huic instituto adsignent. Et Iudeos quidem simpliciter negare, quod certi quidquam hac in causa definiri possit, iam supra diximus. Alii autem omnem rationem ad usum musicum et poeticum referunt, ex quorum numero Simeonem DE MVIS iam nominamus. r) Licet autem negare neque velimus neque possimus, Daudem artis tam musicae quam poeticae peritissimum fuisse, et in illa iam adolescentem adeo excelluisse, ut, quum citharoedus quaereretur, qui sercipientem Saulis animum demulceret, praestantior ex omni populo non inueniretur: s) plenior tamen huius artis notitia, quae veteres excelluerunt, adeo nos fugit, ut nihil certi de ea definire liceat: neque adparet, quid ille litterarum in principiis versuum seruatus ordo contulerit vel ad musicam, vel ad poeticam artem. Illud vero, quod nos de musica sacra cognitum habeimus, in eo consistit, quod psalmi Daudici in בְּרִיתָה, וְרַבְּנָה matras, quibus Deus affa voce, et remotis fidibus celebrabatur, porro in בְּרִיתָה, פָּאָלָמָס, vbi voces humanae cum concerto instrumentorum consociantur, et in בְּנֵתָה, סְמִינָה, vbi sola mente vel preces concepientur, vel beneficia diuina expendeantur, vel aliae piæ meditationes institueantur, fuerint diuisi, id quod etiam apostolus suo suffragio confirmat. t)

HIERONYMVS, qui fere unicus ex numero patrum Hebrei sermonis gnarus fuit, hoc super argumento disputans, Hebreis poëtis in more positum fuisse, ait, ut memoriae causa illustriora rerum discendarum argumenta iuxta seriem

o) Comment. in Psalm. 25.
Rabb. T. II. p. 268.

p) Epitom. controvers. T. I. L. I. c. 3.
r) Opp. p. 126.

q) Biblioth.
s) I. Sam. XVI, 16.
t) Coloss. III, 16.

seriem alphabeti litteris consignarent, u) Et in hac opinione multi alii versantur, sibi persuadentes, sacros scriptores in nonnullis psalmis ordinem alphabeti secutos esse, ut memoriae subsidium compararent, quae et facilius imprimat notanda, et feliciter reddat, notissimae seriei litterarum adstricta. Consentit HILARIVS, w) his verbis: *huius generis psalmi incipientibus veluti elementa proponuntur, ut ad eruditionem festinent.* Neque AMBROSIUS dissentit, inquiens: x) *sicut pueri apertis litteris usum discendi sumimus: ita nos huiusmodi elementis ad usum viuendi adducimur usque ad maturitatem.*

Singularis, sed haud magni ponderis Hugonis GROTII est sententia, y) fluentis, psalmos Alphabeticos ex numero reliquorum eam in finem fuisse selectos ac ita distinctos, ut pueri ad scritptionem exercendam illis vterentur, et simul alphabeti litteras ex ordine repeterent. Profsus autem arida et secura est explicatio eorum, qui litterarum elementa ad intelligentiam psalmi addita esse, suspicantur. In quo negotio Nic. LYRA multo cum labore delirauit, z) quem VGO DE S. CHARO a) et aliis suis fidei socii presso pede sunt secuti. Quo autem successu Lyra hoc tentauerit, id vel ex eo adparet, quod litterarum Hebraicarum nominibus tales significations adsinxit, de quibus fere nemo cogitauit. Nam a) per confusionem, b) per plenitudinem, c) per timorem, d) per duc te, e) per bonum, f) per principium, g) per cor servitutis, h) per viscera, i) per vincum, j) per vocationem, k) per super vulnus, et l) per errorem misere explicitantur, et, uti vibia varia sequitur, inseliciter adplicantur. Et quis hunc ad usum litteras accommodare audeat, quin conset, eas semper alphabeti ordine seruato, ad numeros exprimendos adhibitas fuisse?

Aliam viam ingressus Sal. VAN TIL. b) existimat, ex ordine litterarum in principio singulorum versuum obuiarum ipsum ordinem argumenti, quod in psalmo continetur, colligi posse, et ad numerum XXII. litterarum veluti totidem oratores sacros repraesentari, unam eandemque rem pluribus verbis repetentes ac confirmantes. Ab hoc I. H. MAIVS dissentit, perhibens, c) psalmos alphabeticos simul esse propheticos, qui fata ecclesiae praedicant, et vaticinia de rebus futuris complectantur; adeoque singulas alphabeti litteras versibus praefixas ad singulas noui foederis periodos esse adplicandas. Nisi vero textui sacro vim manifesto inferre velimus, ab hoc commento est abhorrendum. Neque vel occasio, qua compositi sunt, vel scopus et usus eorum id permittunt, neque vero est simile, Christum atque apostolos ad psalmorum oracula semel atque iterum protuocantes, hunc usum sicco pede praeterisse,

Obfcura autem non minus quam coacta eorum est explicatio, qui nominatio ex psalmi CXIX. litteris initialibus, qui versus indicant, certa mysteria exceptu pere satagunt. Ita AMBROSIUS d) disputat: *in Psalmo CXIX. singuli versus incipiunt a singulis elementis alphabeti Hebrei: quo innuitur, quod ea, quae proponuntur, sunt elementa, et omnimoda doctrina, cuius partes congruis inter-*

q) in Epist. ad Paul. Vrbic. Opp. T. IV. f. 90.

y) ad Pf. 25.

z) ad Pf. 119.

fat, ad Pf. 119.

w) ad Pf. 25.

a) in Comment. S. S. ad PC. 119.

c) in Oeconom. V. T. p. 605.

x) ad Pf. 119.

b) in praef.

d) ad Pf. 119.

interpretationibus nominum elementis impositorum designantur. Ipse numerus octonarius singulis distinctionibus innuit, quod unaquaeque pars perfecta sit et sufficiens, ut si quis eam seruet in vita septem dierum, perueniat ad octavam resurrectionis. Vel etiam circumcisio cordis significatur. Quae si abstrusius dicta videantur, verbis aliquantulum immutatis ea ita explanat: singulis litteris versus octoni subiiciuntur, ut unitatem deitatis doceant, et purgationem legitimam sanctificationis. Octava enim die circumcisio est ex lege, et in Christi resurrectione cum eo sumus convicti.

Iam vero, indicatis aliorum sententiis, quo loco nos huius generis psalmos habeamus, paucis exponemus. Nam casu fortuito litteras iusto ordine ita confluisse, nemo facile sibi persuaderi patietur. Inter caussas vero, quae horum psalmorum auctorem permouerunt ad certos psalmos tali modo insigniendos, prima haec fuisse videtur, ut ex eo cognoscamus litterarum Hebraicarum ordinem nos adhuc integrum et talem tenere, qualis cum initio sermonis viris diuinitus inspiratis traditus fuit. Quum enim in omni cogitationum humanarum serie ipsa mentis nostrae natura ordinem aliquem seruet, David aut omnem cogitandi rationem naturalem neglexisse, dicendus est, aut, quaecunque cogitauit, eadem etiam iusto ordine concinnauit. Hanc enim ob caussam psalmos alphabeticos pro numero litterarum Hebraicarum in viginti duo segmenta partitus est, ut quolibet horum proprio in argumento versetur, quod quidem à praecedente et consequente separatum, cum totius aucten orationis argumento sit coniunctum. Et tali modo singulis illis XXII. particulis psalmus CXIX. singulas verbi diuini laudes complebitur. Atque hic ordo quaedam coniungenda, quaedam autem separanda postulabat: et quidem coniungenda vna eademque littera octies repetita, disjungenda autem alia atque alia alphabeti littera indicabat. Vti enim ipse litterarum Hebraicarum ordo, quo sibi mutuo succedunt, ratione soni et pronunciationis divinus est et prorsus admirandus, quod Casp. NEVMANNVS egregie demonstrat: e) ita illum, quem alphabetum Hebraicum hodie tenet, adhuc eundem esse, qui ab opifice atque ipso auctore sermonis à principio institutus fuit, neque illam linguam esse immutatam, hoc argumento evidenter probatur.

Accedit ipsius argumenti dignitas, quae psalmos alphabeticos a ceteris aperte distinguit. Namque in psalmorum libro vniuersa doctrina cœlestis traditur, et quidem adeo copiose, ut eorum nihil praetermittatur, quae sunt vel credenda vel genda, vel speranda.

In primis autem psalmus CXIX. legem diuinam ita proponit commendandam, ut digna videretur, quae a prima aetate cum primis litterarum rudimentis imbiberetur, et laudes verbi diuini memoriae tenacissime infigerentur. Namque hunc Hebraeorum morem fuisse, ut res notatu pœc ceteris dignas ordine litterarum consignarent, et aliis tanquam pueris elementarii bene tenendas instillarent, ex eo colligi potest, vbi Paulus ipsis Hebreis exprobrat, quod opus habent didactes τας σοιχειας της αρχης, doceri principia elementorum. f)

Nam

e) Clau. domus Heber. p. 156.

f) Hebr. V, 12.

Nam ingenii portentosi est opinio, qua Herm. HARDTIVS g) statuit, Iaddum, Iudeorum Pontificem, post redditum ex captiuitate Babylonica et res Iudeorum restitutas, in huius beneficij memoriam hunc psalmum concinnasse.

Sed abrumpendum est silum, vt ad illud officium accedamus, quod crastinus dies imperat, ordine alphabetico, si fieri possit, per omnes landes celebrandus. Hic enim non modo natalitia Serenissimi Electoris Saxoniae, FRIDERICI AVGVSTI, Domini nostri clementissimi, in memoriam reuocat, sed terminum etiam illius aetatis indicit, quae ex legum publicarum praescripto idonea est et matura ad rempublicam capessendam. Et quia utrumque beneficium omni religione ac pietate est recolendum, nos etiam officio obseruantiae deesse noluiimus. Quo consilio quinque adolescentes publice testatum facient, quas gratias agendas, quas preces faciendas, et quae bona speranda hic dies requirat atque ominetur, illius memoriae dicata,

quem si fata virum seruant, si vescitur aura
aetherea, nec mox crudelibus occubat umbris,
non metus: officio nec te certasse priorem
poenitcat. h)

Et quidem ex numero eorum, qui periculum perorandi facient, ordine primus erit

Io. Fridr. Biliz, Schoenerstad. Misn.
verbis Francogallicis officium gaudendi cum gaudentibus explicaturus et applicatus. Quem excipiet

Christian Gottfr. Bernhardi, Wilsdruf. Misn.
carinice heroico eoque Latino auspicia imperii capessendi apud veteres vistata in
memoriam reuocabit. Sequetur

Car. Gottfr. Hunger, Freiberg.
versibus Germanicis beneficium huius diei eximium et singulare complexurus.
Succedit

Io. Gottfr. Buze, Conradsdorf. Misn.
filo Latino veterum aetatem legitimam ad imperium suscipiendum delineaturus, Finem autem faciet

Io. Traugott Schubert, Freiberg.
idem sermone Latino solennitates natalitias veterum breuiter descripturus.

Nos vero quemadmodum non dubitamus, PATRONI et FAVTORES, hoc institutum a Vobis probatum iri; ita ea, qua decet, pietate atque obseruantia Vos rogamus, vt cras, finitis ante meridiem sacris, ad audiendos oratores, et facienda vota pro salute Principis et anno feliciter finiendo, accedatis, cui Principi auspicatum et omni ex parte beatum annum, qui instat, his vatis diuini verbis omniamur; i)

Salvus populi est ad Salvtem principis.

P. P. Freibergae, die XXII. Dec. anni ruentis MDCCCLXVIII.

g) in Progr. Helmstad. 1714.

i) Ier. XXIX, 7.

h) Virgil. Aen. I. 546. sqq.

Yb-627

(811148)

TA>OL

ULB Halle
001 508 164

3





Farbkarte #13

B.I.G.



DE PSALMIS ALPHABETICIS PRAEFATVS

AD ORATIONES DIEI NATALI ET IMPERIO FELICITER VSCEPTO SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE FRIDERICI AVGVSTI

CONSECRATAS
OBSEQVIOSE INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELI.

CXXVII.